

Triunus praeualuit, locis nomen Ipsiusmet suum, quo et factum, ut Pontifex Maximus, Innocentius II., se incolumem seruaret, ac dignitatem, quae Christiano in orbe maxima isto tempore habita, suam felicissimo successu tueretur; quod denique in lucem emiserit scripta, non eminentia tantum numero, sed et stilo florido, humanitatis sale sparso, tum amoris etiam notis insigni, qui tamen ex ipsis litterarum sacrarum Veteris ac Noui Instrumenti fontibus haustus, in libris V de Consideratione ad Eugenium Papam, sese potissimum prodit, unde Orator, e Vobis quartus, ex clamatoria Bernhardi uerba de ambitione in reliquum est mutatus.

Hi sunt isti excellentissimi Quatuor-Viri, quorum sententias ponderosiores ad argumenta Vobis elegistis, ex quibus uestra facta est ualedictio, hoc melior, quo altiorem reminiscentiae locum inter ceteros primae classis alumnos obtinuit, ac crescente semper studiorum Vestrorum atque ingenii laude tuetur. Nec temere, id factum, credatis, uelim, a me, qui ueritus sum, ne posthac alios, quam vestris proposui mentibus, Viros esse hos, putetis, ad Auditoris ac Discipuli instar, cui nouem abhinc lustra in ciuitate Imperiali Franciae orientalis maxima suorum Parentum iussu ex Cornelio Nepote stilum Rhodium uelut instillatum iui. Nam hic tum Adolescens, Oratione Sacra maxime Reuerendi Moerlii, in qua Cornelii a Lapide mentio fieret, audita, prope trauit domum, et me anxie praefolatus, tandemque allocutus coram, Abs Te, inquit, falsa sum edocitus, ex ore Magni nostri MOERLII bodie percepto, CORNELIVM esse cognominandum A LAPIDE. non uero NEPOTEM. Forte fieri posset, o! Mei, Aristippum Iuniorem, Plinium Maiorem, Marcum Ciceronem, Bernhardum alias loci Abbatem in Gallia, intelligendos, ut praeiudiciis ueluti iugulati, censeretis, ad eam seducti opinionem, eiusmodi, qui posteriorum, non priorum quatuor, meminissent, auctorum lectione.

Nunc, aio: Feliciter! quae usitata ac bene precandi ac gratulandi